

XIV. Nullus confugiens foris ante dicta loca pro operarum cupiditate se dicat exire. Quod si fecerint, et capti fuerint, ad dignum sibi supplicium condemnentur.

XV. Quod si cujuslibet servus deserens suum dominum ad ecclesias confugerit, et ibi primitus dominus ejus advenerit, contentio excusatur; reddatur furtum, ut se de pretio redimat.

XVI. Si quis ad vestigium minandum vel latronem persequendum admonitus venire noluerit, quinque solidis condemnatur.

XVII. Ea quæ in Dei nomine pacis tenore constituimus, in perpetuum volumus custodire.

XVIII. Hoc statuentes, ut si quis ex iudicibus hoc decretum violare præsumperit, vite periculum subiacere cognoscat.

## <sup>a</sup> EDICTUM DE SYNODO PARISENSI.

(Bréquiigny, Diplom. tom. I.)

Felicitatem regni nostri in hoc magis magisque, divino intercedente suffragio, succrescere non dubium est, si quæ in regno nostro, Deo propitio, bene acta, statuta, atque decreta sunt, inviolabiliter nostro studuerimus tempore custodire; et quæ contra rationis ordinem acta vel ordinata sunt, ne inantea, quod avertat divinitas, contingant, disposuerimus, Christo præsule, per hujus edicti nostri tenorem, generaliter emendare. Ideoque definitionis nostræ est ut canonum statuta in omnibus conserventur, et quod per tempora ex hoc prætermissum est, vel dehinc, perpetualiter observetur.

I. Ita ut, episcopo decedente, in loco ipsius, qui a metropolitano ordinari debet cum provincialibus, a clero et populo eligatur<sup>b</sup>; et si persona condigna fuerit, per ordinationem principis ordinetur; vel certe si de palatio eligitur, per meritum personæ et doctrinæ ordinetur<sup>c</sup>.

H. Ut nullus episcoporum, se vivente, eligat successorem; sed tunc alius ei substituatur, cum taliter affliceretur ut Ecclesiam suam nec clerum regere possit. Itemque ut nullus, vivente episcopo, adoptare locum ejus præsumat. Quod si petierit, ei minime tribuatur<sup>d</sup>.

III. Si quis clericus, quolibet honore munitus, contempto episcopo suo, vel prætermisso, ad principem aut ad potentiores quasque personas ambulare vel sibi patrocinium elegerit expetendum, non recipiatur, præter si pro venia videtur expetere. Et si pro qualibet causa principem expetierit, et cum ipsius principis epistola ad episcopum suum fuerit re-

versus, excusatus recipiatur. Is qui ipsum, post admonitionem pontificis sui, retinere præsumperit, sancta communionem privetur<sup>e</sup>.

IV. Ut nullus iudicum de quolibet ordine clericos de civilibus causis, præter criminalia negotia, per se distringere aut damnare præsumat, nisi convinctur manifestus, excepto presbytero aut diacono. Qui vero convicti fuerint de crimine capitali, juxta canones distringantur, et cum pontificibus examinentur<sup>f</sup>.

V. Quod si causa inter personam publicam et homines ecclesiæ steterit, pariter ab utraque parte prepositi ecclesiarum et iudex publicus in audientia publica positi ea debeant judicare<sup>g</sup>.

VI. Cuicumque defuncto, si intestatus decesserit, propinqui absque contrarietate iudicum in ejus facultate juxta legem succedant<sup>h</sup>.

VII. Libertos cujuscunque ingenuorum a sacerdotibus, juxta textus chartarum, ingenuitatis suæ defensandos, nec absque præsentia episcopi aut prepositi Ecclesiæ esse judicandos, vel ad publicum revocandos<sup>i</sup>.

VIII. Ut ubicunque census novus impie additus est, et a populo reclamatur, justa inquisitione misericorditer emendetur.

IX. De teloneo, ut per ea loca debeat exigi, vel de speciebus ipsis de quibus præcedentium principum tempore, id est, usque ad transitum bonæ memoriæ donnorum parentum nostrorum Gunthramni, Chilperici, Sigeberti regum, est exactum<sup>j</sup>.

X. Judæi super Christianos actiones publicas agere non debeant. Quare qui se quæstuoso ordini so-

<sup>a</sup> Si admittatur sententia quam proposui, pag. 145, not. 7, hoc caput referendum foret cap. 10 edicti Chilperici anni 574.

<sup>b</sup> Primus hanc constitutionem publici juris fecit Sirmondus, Conc. ant. Gall. t. I, p. 374, ex Cod. Rhem. eccl.; inde Baluzius, Capit. t. I, col. 21; Hard., Concil. t. III, col. 55; Cointius, Annales eccl. Franc. t. II, pag. 674; auctor Probat. libert. eccl. Gallic., part. II, pag. 66; Dubois, Hist. eccl. Paris. t. I, pag. 143; D. Bouquet, Rer. Gall. et Franc. script. t. IV, pag. 118; Mansi, Concil. coll. max. tom. X, c. I. 545. Pertizius denique, Monum. hist. Germ. t. III, pag. 14. Notat Sirmondus hanc constitutionem in Codice inscriptam esse ante concilium; doctus vir tamen eam postposuit non sine causa, ut quæ concilii mentionem faciat, cujus nonnulla decreta regia sanctione munita fuerunt.

<sup>c</sup> Hæc consonant cum canone 1 concilii Parisiensis proxime supra memorati.

<sup>d</sup> Non inde inferendum est principi licentiam fuisse quempiam, arbitrio suo, et absque canonicis regulis, ad episcopatum promovere, quod fuisse probavit auctor libri cui titulus: *Theoria legum politicarum Franciæ*, t. IV, part. II, pag. 82 et seqq.

<sup>e</sup> Vid. canonem II concilii Parisiensis.

<sup>f</sup> Conf. canonem III concilii Parisiensis.

<sup>g</sup> Hæc jam statuta fuerant compluribus conciliis, et longe antequam constitutione imperiali anni 425.

<sup>h</sup> Placito concilii, in capite præcedenti memorato, l. x quædam addit, et, in casu præviso, tribunal quoddam mistum instituit.

<sup>i</sup> Hoc caput consentit cum cap. 2 constit. Chlotarii I, anni 561.

<sup>j</sup> Conf. canonem 5 concilii Parisiensis.

ciare præsumpserit, severissimam legem ex canonica incurrat sententia <sup>a</sup>.

XI. Ut pax et disciplina in regno nostro sit, Christo propitiante, perpetua, rebellio vel insolentia malorum hominum severissime reprimatur <sup>b</sup>.

XII. Ut nullus iudex de aliis provinciis aut regionibus in alia loca ordinetur; ut si aliquid mali de quibuslibet conditionibus perpetraverit, de suis propriis rebus exinde quod male abstulerit, juxta legis ordinem debeat restituere <sup>c</sup>.

XIII. Præceptiones nostræ per omnia impleantur <sup>d</sup> (*finis capituli deperdita.*)

XIV. (*Textus deperditus.*)

XV. (*Textus deperditus.*)

XVI. Quidquid parentes nostri anteriores principes, vel nos, per justitiam visi sumus concessisse et confirmasse, in omnibus debeat confirmari.

XVII. Et quæ unus de fidelibus ac leodibus, suam fidem servando domino legitimo, interregno faciente, visus est perdidisse, generatim absque aliquo incommodo de rebus sibi juste debitis præcepimus revestiri.

XVIII. Puellas et viduas religiosas, aut sanctimoniales, quæ se Deo voverunt, tam quæ in propriis domibus resident, quam quæ in monasteriis positæ sunt, nullus nec per præceptum nostrum competat, nec trahere, nec sibi in conjugio sociare penitus præsumat. Et si quis exinde præceptum elicerit, nullum sortiatur effectum <sup>e</sup>. Et si quicumque aut per virtutem aut per quemlibet ordinem ipsas detrahere aut sibi in conjugium præsumperit sociare, capitali sententia feriatur. Et si in ecclesia conjugium fecerint,

<sup>a</sup> Consonat cum canone 15 concilii Parisiensis.

<sup>b</sup> Hoc caput confirmat pactum et decreta Childeberti ac Clotarii, quæ videre est pag. 166 et seqq.

<sup>c</sup> Conf. cap. 6 constitutionis Clotarii anni 560.

<sup>d</sup> Desunt reliqua hujus capituli, cum duobus sequentibus; quare proximum numero 16 signabitur.

<sup>e</sup> Eadem jam sancita erant cap. 7 Const. Chlota-

et illa rapta aut rapienda in hoc consentire videbitur, sequestrati ab invicem in exilio deportentur, et facultates eorum propinquis hæredibus socientur <sup>f</sup>.

XIX. Episcopi vero vel potentes, qui in aliis possident regionibus, iudices vel missos discussores de aliis provinciis non instituant, nisi de loco, qui justitiam percipiant et aliis reddant.

XX. Agentes igitur episcoporum aut potentum per potestatem nullius rei collecta solatia nec auferant, nec cujuscunque contemptum per se facere non præsumant.

XXI. Porcarii fiscales in silvas ecclesiarum aut privatorum absque voluntate possessoris in silvas eorum ingredi non præsumant.

XXII. Neque ingenuus, neque servus qui cum furto non deprehenditur, a iudicibus, aut ad quemcunque interlici non debeat inauditus <sup>g</sup>.

XXIII. Et quando quidem pastio non fuerit, unde porci non debeant saginari, cellarinsis in publico non exigatur <sup>h</sup>.

XXIV. Quicumque vero hanc deliberationem, quam cum pontificibus <sup>i</sup>, vel tam magnis viris optimatibus aut fidelibus nostris in synodali concilio instituimus, temerare præsumperit, in ipsum capitali sententia judicetur, qualiter alii non debeant similia perpetrare.

Quam auctoritatem vel edictum perpetuis temporibus valliturum manus nostræ subscriptionibus decrevimus roborandum. — Hamingus. — Chlotacharius, in Christi nomine rex, hanc definitionem subscripsit.

Data sub die xv Kalendas Novembris, anno 51 regni nostri Parisius.

rii, anni 560.

<sup>f</sup> Eadem statuerat canon 15 concilii Parisiensis. Conf. cap. 4 edicti Childeberti, anni 595.

<sup>g</sup> Vid. cap. 7 decreti Childeberti, anni 595.

<sup>h</sup> Ordo capitum turbatus videtur, hoc enim ad caput 21 attinet.

<sup>i</sup> Ergo edictum concilio postponendum erat.

## PRÆCEPTUM PRO MONASTERIO SANCTI DIONYSII.

(Apud Mabill., in Supplem. de re Diplom., p. 92.)

. . . viris illustribus Chrodegario . . . e sana mente per basilecabus de suis propriis facultatibus per testamenti pagenam voluerit legaliter delegari, per nostris auctoretatibus testamentum . . . . . noster Dodo abba de basileca sancti domini Dionysio Martheris peculiare patroni nostri testamenti pagenam a Johanne quondam negociante filius Ilid. . . . . uid de suis facultatibus ad basileca ipsius sancti Dionysio, vel reliqua loca sancta infra oppidum Parisiorum civitatis, etiam et ad alecus de suis propinquis per ipso generaliter confirmari deberimus. Quod nos magnetudo vestra sicut unicuique, juxta patentes vel pro nostre mercedis compedium hunc beneficium non negasse . . . . . sæpe dic-

tus Johannis ad ante dicta basilecas sancti Dionysio, vel reliqua sancta loca, aut suis propinquis juste nuscitur delegasse, hoc est in terris, domebus, maucipiis . . . . . entis vel reliquo beneficio, hujus auctoretatis nostre vigore et generale beneficium confirmatum ad ipsas basilecas vel suis propinquis proficiat in perpetuo . . . . . nentem similiter per hanc præceptionem firmati valeant permanere securi. Et ut hec auctoretas ampliatis titolis nostris et futuris temporibus inconcusso jure . . . . . Ursinus obt. . . . . Chlothacharius in Christi nomine rex hanc præceptionem subs . . . . . nostri, Stirpiniaco fel. in Domino at vet. pal.